



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XL [i.e. CLXIX] Differentia 40. Secundùm Canones instantia iudicij in causa
principali non perit triennio, vel biennio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Secundum Canones instantia iudicij in causa principali non perit triennio, vel biennio. *c. Venerabilis. De iud. Iure civili secus. l. properandum. C. De iud. l. 1. C. Ut intra certum temp. caus. tam civ. quam criminales. Bart. 25. Ioan. Bapt. à S. Blasio 27. Galvan, 22. Canisius 11;*

Honorius III. ab Archiepiscopo Rayennate interrogatus, an decursu triennij prorogata causa, eo elapso perijissent? respondit, non obstante triennij lapsu iudicem delegatum in causa sibi comissa procedere posse. Vnde interpretes colligunt, instantiam iudicij secundum Canones esse perpetuam, & Honorij responsum extendi ad omnes Iudices. Quamvis enim loqui videatur de iudice delegato tantum, non fit tamen in eo vis, nec fundatur textus decisio. *Baptista Perus. De arb. l. 13. c. 2. Alexand. consil. 23. vol. 3. Maranta Par. 5. iudiciorum, 14.*

Nec obstare existimant *Conc. Tr. Sess. 24. c. 20. De reform.* ubi statuitur, omnes causas ad forum Ecclesiasticum pertinentes etiam beneficiales in prima instantia coram ordinariis locorum infra biennium à die motæ litis esse terminandas. Neque enim præfigit instantiam causis: quia lapsò biennio acta non pereunt, sed partes, cum lubet, sequi litem possunt sub eodem iudice ordinario, vel Iudices superiores adire, & sic imponit terminum iudici inferi ad

causam finiendam, non tamen irritata processus. *Zerola in Praxi Par. 1. 7. Instantia, §. 4.*

11. Ius civile quod attinet, *Barbosa in c. Cum olim. De privileg. n. 7* fatetur communiter receptam esse differentiam inter leges, & Canones, quod secundum illas instantia in causa civili per triennium expirat iuxta *l. properandum. C. de iudic.* non ita tamen secundum canones. *Glossa 1. in c. ult. De dolo & contum.* sed hoc non habere locum citatam legem *Properandum* idem *Barb. notat in c. Venerabilis. De iudic.* præsertim in Consistorio Imperialis Cameræ teste *Mynsingero Centur. 2. obseru. 48. n. 4. vbi ait.* Instantia in Consistorio imperialis Cameræ non perit triennio in causis civilibus, licet in criminalibus duret tantum biennio, sed perpetuo durat, sicut etiam Iure Canonico. *Consentit Andr. Gaill. l. De pace public. c. 9. num. 15. Hartman in Miscellan. c. 1. obseru. 16. Covar. in c. quamvis paritum. De pactis,*

* *

*